

hoc קוּר construi aliàs solet, uti constat ex *Gen.* XLIX, 15. *Jes.* VIII, 17. &c. vide infra *vers.* 5. & in *Gramm. Trostii* p. 137. n. 4.

יבשו (sed) *confundantur*: per epanodon pulchrè repetitur verbum proximum, cui melioris lucis causâ Lutherus præmisit adversativam aber. Potest autem hoc futurum reddi tum optativè, (ceu facit Lutherus: *confundantur*.) tum indicativè: *confunduntur*, positò nempe futurò pro præsentè, in re, quæ fieri plerumque solet, p. 26.

הכוגרים *prævaricatores*: qui scilicet fœdus, cum Deò in sacramentò initiationis factum, violant voluntariâ malitiâ, deficientes ad satanam, ejusque assecras. כָּגַר enim est *perfidè agere, rebellem fieri*. Hòc ipsò autem epithetò insigniuntur etiam alibi peccatores præfracti, *Prov.* II, 22. descripti ibidem *vers.* 12.

ריקם *inaniter vel sine causâ, temerariò*: nullam defectionis suæ habentes causam, nullaque lacerati injuriâ: sic enim adverbium hoc, per (ם) in fine formatum, occurrit *Psal.* VII, 5. *inimici mei ריקם*. Aben Esra exponit per ריקם *immeritò*.

## EXPLICATIO VERSUS IV.

דרכיך *vias tuas*: h. e. vivendi modum, à te præscriptum tibi que placentem, ostende mihi spiritus tui illuminatione internâ, ut intellectu rectè agnoscam, voluntate approbem, opere ipsò compleam. Sic *Via* pro vivendi ratione, *Psal.* I, 6. XXXVII, 7. (spera in Deum & observa דרכיך) *Psal.* XVIII, 22. (observavi יי דרכיך *Psal.* LI, 15. (docebo impios דרכיך) &c. Affixum verò refertur ad Deum, ejusmodi viam seu vivendi rationem præscribentem, ceu in locis allegatis; vel quatenus ipsemet hòc vel illò modò circa creaturas se gerit, (wie er mit den seinen umgeht) qui ipse sanè processus in adversis valdè impervius mirabilisque videri solet piis, adeò, ut instructionem desiderent vehementer. *Pf.* XVIII, 31. recta est via Dei: *Job.* XL, 19. ipse initium viarum Dei, i. e. operum, *Prov.* VIII, 22. in principiò דרכיך &c. Nimirum *Via Dei* est, quam vel ambulandam patefecit fidelibus, vel quam ambulavit ipse: prior significatus dici potest practicus, quatenus ab homine debet iri; alter theoreticus, quatenus saltem debet rectè sciri. Huc, quod *Via* vocetur Religio, *Act.* XVIII, 25. 26.

ארחותיך *femtas tuas*: repetitio hæc est ejusdem sententiæ per synonyma, ob majorem evidentiam, affectusque in orandò constantiam: similia exempla sunt *Psal.* XXI, 9. XXII, 24. &c. Huc Mosis votum *Exod.* XXXIII, 13. notas fac &c.

## EXPLICATIO VERSUS V.

הרריכני *fac me incedere*: h. e. concede mihi vacillanti, infirmo ac errabundo spirituales vires, ut strenuè, alacriter ac constanter verbi tui statuta premam atque exequar. דָּרַךְ *incessit*, in hiphil *incedere fecit*, viam nempe monstrando, manibus ducendo, sustentando: ut *Prov.* IV, 11. הָרַךְ בְּתוֹךְ *vias recti*, ait Salomo. *Jes.* XLVIII, 17. ego Deus דָּרַךְ בְּתוֹךְ per viam ambulandam: c. XLII, 16. אֶרְרִיכֶם *Psal.* CVII, 7. Deus errabundos יִרְרִיכֶם. Locus parallelus est *Psal.* CXIX, 35. Metaphora igitur ducitur ab infantulò, vel agrò convalescente, quem sensim docemus incedere, manuque prehensâ juvamus, ac labascentem vel hallucinantem servamus.

A באמתך *in veritate tua*: h. e. effice, ut veram verbi tui sententiam rectè agnoscam, amplectar, que agnitam corde avidò ab obsequente. Veritas ergò in abstractò ponitur pro verbò verace, quod caret omni mendaciò ac dolò, aliter, ac scripta hominum vel idololatrarum. Sic enim in locò parallelò dicitur *Pf.* CXIX, 35. הָרַךְ בְּתוֹךְ מִצְוֹתֵינוּ in femitâ *præceptorum tuorum*: item *Job.* XVII, 17. verbum tuum veritas.

ישעי *Deus salutis meæ*: vide *Psal.* XXIV, 5. Hac autem appellatione, *Deus ישעי* vel ישעי admodum piè Antiqui monent intelligendum esse *Jesum*, magnum illum Deum, (*Tu.* II, 13.) salutisque nostræ autorem unicum, *Matth.* I, 21. quem hac ipsâ nomenclatione procul dubiò quoque coluerunt Pii Veteris Testamenti, quippe cum Jehovam justitiam nostram futurum nosset, *Jer.* XXIII, 5. 6.

B כל היום & integrò die: *omni die, & integrò die*: enim complectitur quantitatem tam continuam, (h. e. diem cum omnibus suis partibus,) quam discretam, h. e. designat diem quamlibet, per integrum annum, aut vitæ nostræ spatium.

## EXPLICATIO VERSUS VI.

זכר *memento*: h. e. ne ampliùs adeò indignantem te erga me miserum geras, ac si omnis apud te interisset commiseratio, quin potiùs externò opere vel auxiliò demonstra palàm, te mei esse memorem: sic per anthropop. Deo tribuitur *recordatio*, quando externo opere demonstrat suam opem, *Gen.* VIII, 1. recordatus est Nox; vide *Psal.* VIII, 5. XX, 4. *Psal.* CXIX, 49. item Hieron. ad *Thren.* V, 1.

רחמיך *miserationum tuarum*: h. e. propensionis tuæ paternæ erga creaturas tuas miseræ, quarum anxie clamantium non potes non misereri. רַחֲמִים nomen plurale tantum *commiseratio*, quali caret hostis crudelis, *Jes.* XLVII, 6. qualis obtingit coram domino gratiofo, *Gen.* XLIII, 14. *Jer.* XLII, 12. (coram Rege Babel, dantè habitaculum.) confer *Jes.* XLIX, 15.

C וחסריך & gratiarum tuarum: h. e. benignitatis tuæ multiplicis, multis etiam exemplis declaratæ inde ab orbe condito ad huncce præsentem diem. (hoc enim postulat numerus pluralis.) חָסֵר verò designat affectum benevolum, opere ipsò se exerentem erga alium, collatis nempe beneficiis, vel corporalibus, vel spiritualibus, vide *Psal.* V, 8.

מעולם *quod à seculò ille*: h. e. memento, quam benignus semper fueris inde à creatione mundi erga pœnitentes; ne itaque jam demum incipias hanc tuam deponere clementiam erga me tuum servalum miserum ac penitus desertum. De æternâ Dei gratiâ vide sis *Ephes.* I, 4. 2. *Tim.* I, 9. *Psal.* C, 5. CIII, 17. 1. *Pet.* I, 4. *Dan.* XII, 3.

רמה *ipse*: scilicet sint, nimirum pronomen ponitur pro verbo substantivo *sint*, vel inclusum tamen gerit ipsum; ceu *Psal.* XXIV, 10. & alibi passim.

## EXPLICATIO VERSUS VII.

נעורי *peccata adolescentiæ meæ*: h. e. peccatum tum originale, infanti mihi connatum, *Psal.* LI, 7. tum actualia, ab hac malâ arbore subinde, etiam in tenerâ adhuc pueritiâ meâ, & postea in ætate adultiori progerminantia; uti